

Cœlestem ad patriam tendens, cognosce vocantem, cuius pro-
veheris, si benè curris, ope. Nam si tu virtute tua ad cœlestia credis
scandere, de superis pulsus ad ima cades, *Prosper. in sentent.*

Diversa erit sanctorum gloria sed una erit omnium vita æterna,
Augustin. de fide ad Petr. Diac. c. 28.

BREVIS RECENSIO ERRO-
RUM PRÆCIPUORUM, CIRCA
PRÆMISSA RELIGIONIS CHRI-
STIANÆ CAPITA.

DE SACRA SCRIPTURA.

E*Bionei* scripta D. Pauli rejiciebant, sicut *Nazaræi* scripta Evan-
gelistarum. *Saturniani* verò & *Traditionarij* fingebant sibi im-
mensa plaustra scriptorum apocryphorum, sicut & *Basilidiani*, qui
insuper totum V. T. rejiciebant. Ex quorum scholis prodierunt
Gnostici, Marcitæ, Archontici, Cerdoniani, Marcionitæ, Severiani, Mon-
tanistæ, omnes scripturæ hostes, & peculiarium libellorum cutores.
Donec prodiit nefandus *Mahomet* cum diro suo Alcorano. Blasphemè
quoque *Hermannus Riswich* fidem nostram fabulosam, scriptu-
ram fatuam, ficta biblia, delirum Evangelium dixit. Cui & *Munze-*
rus adstipulatus Anabaptistarum fomes, & nuperrimi illi *Mediani,*
Stifeliani, Novi Prophetæ, & hujus generis insecta pluria.

DE DEO.

SI credas nonnullis, priscorum ætas habuit Atheos, qui omnem
Deum negarunt, ut sunt *Cotta, Diagoras, Melius, Theodorus, Cyrena-*
icus, &c. Verùm cum *Mornæi* sententia præponderet, qui non ne-
gasse eos Deum omnem scribit, sed solam Deorum multitudinem,
jam abhinc in Ecclesiam nos proripiemus, ubi miserandum in mo-
dum hic Articulus invasus. *Simon Magus* Deum se profitebatur,
magicis artibus dementans populum Romanum, ut statuam pone-
ret: *Simoni Deo Sancto.* Duo principia, imò & plura, cum prodi-
giosa

Eeeee